

et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
 hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
 accipit. hic pelagi tot tempestatibus actus
 heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
 amitto Anchisen. hic me pater optime fessum 710
 deseris, heu tantis nequiquam erepte periclis.
 nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
 hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
 hic labor extremus, longarum haec meta viarum,
 hinc me digressum vestris deus appulit oris.' 715

Sic pater Aeneas intentis omnibus unus
 fata renarrabat divom cursusque docebat.
 conticuit tandem factoque hic fine quievit.

LIBER QVARTUS

At regina gravi iamdudum saucia cura
 volnus alit venis et caeco carpitur igni.
 multa viri virtus animo multusque recursat
 gentis honos, haerent infixi pectore voltus
 verbaque, nec placidam membris dat cura quietem. 5
 postera Phoebæa lustrabat lampade terras
 umentemque Aurora polo dimoverat umbram,
 cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
 'Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent.
 quis novos hic nostris successit sedibus hospes, 10
 quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis.
 credo equidem — nec vana fides — genus esse deorum.
 degeneres animos timor arguit. heu quibus ille
 iactatus fatis, quae bella exhausta canebat.
 si mihi non animo fixum inmotumque sederet, 15
 ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
 postquam primus amor deceptam morte fefellit —
 si non pertaesum thalami taedaeque fuisset,
 huic uni forsā potui succumbere culpae.
 Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei 20
 coniugis et sparsos fraterna caede penates